



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

An peccetur mortaliter ab eo, qui sine licentia tale onus admittit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

An sit valida si non sit gratis concessa?

An peccetur mortaliter ab eo, qui sine licentia tale onus admittit?

11. Dubitabis quartò. Quid si licentia concedatur pretio mediante? Respondeo licentiam esse validam, quamvis illicitè datam. Ratio est eadem, quia illud, quod est in Decreto (cum licentia gratis concedenda) significat modum, non conditionem, ut modo de voce (in scriptis) dictum est.

12. Certè (ut id. hac occasione, obiter dicam) quando in concessionibus Indulgentiarum ponit Pontifex esse gratis publicandas ab Ordinariis: si talis clausula ponatur solum enunciative, & solum notans id, quod iure debetur, nimirum has gratias esse sine pretio concedendas, valida erit Indulgentia, etiam si aliquid ab Ordinario recipiatur. At si ponatur clausula invalidans in hunc ferè modum: ne aliquid recipiatur, alioquin indulgentia sit nulla, nulla erit, si quid recipiatur. Ratio utriusque dicti est, ex Sanchez ibid. n. 4. quia ibi notatur modus tantummodo: hic, clausula illa clare invalidans habet vim conditionis, unde nisi fiat juxta dictam clausulam, invalida erit concessio. Redeo ad nostra.

An valide suscipiat onus perpetuum Missandi qui sine licentia suscipit?

13. Dubitabis quintò. An si quis, est delinquit (de quo mox §. 8. n. 18.) valide tamen onus perpetuum contrahat si sine licentia illud admittit.

Respondeo. Clausula Decreti hæc est: *Næque in posterum usque perpetua suscipiant Missarum celebrandarum sine licentia.* Si ergo hæc clausula est irritans, invalide contrahit, si solum est prohibens, sanè contrahet valide. Id ergo querendum nobis est.

14. Sanchez, quem Theologi ferè omnes sequuntur, Sanchez, Mol. Salas alique apud Castrop. tom. 1. tr. 3. d. leg. sup. 2. part. 8. docet ex eo solum, quod lex prohibeat actum, non censeri actum nullum in conscientia, si fiat contra talem legem: sed si Legislator velit nullitatem talis actus, debet in lege verbis id explicantibus disponere.

Contra Iurisperiti ferè omnes, Baldus, Tiraquell. alique apud Castrop. loc. cit. communiter docent statim atque lex prohibet actum, censeri illum nullum reddere, v.g. si ferretur lex in hunc modum: *Ne quis quidpiam hoc anno mutuum det.* Theologi affirmant, quod nisi in tali lege addatur clausula irritans in hunc, vel similem modum (quod si dederit nullus sit talis mutui contractus), erit validus talis mutui contractus, esto annullati per sententiam possit à Iudice.

At Iurisperiti asserunt, si ve addatur, si ve non, clausula irritans, semper fore irritum, & invalidum eademodi contractum.

15. Ratio Iurisperitorum est, quia nihil profus contra voluntatem Superioris, potest voluntas inferioris. Ratio Theologorum est, quia prohibere, & irritare sunt omnino distincta, prius enim edicit, ne fiat, posterius vero, ne valeat actus. Et sic non valet consequentia, lex prohibuit, ergo lex irritavit. Sanè Ecclesia olim prohibuit matrimonia clandestina, non tamen erant irrita, ut ex Tridentino sess. 24. cap. 1. de reform. matr. constat.

Hæc sententia sine dubio est recipienda, & ad rationem Iurisperitorum respondendum, facientem contra legem solum prohibentem, non contraire voluntati Superioris quoad valorem actus, sed solum quoad actus prohibitionem, unde inhonestè, seu illicitè faciet, non verò invalide. Nec ostat lex non dubium, C. deleg. quia illam satis bene interpretantur Castrop. loc. cit. alique.

16. His ergo positis, iam ad resolutionem casus nostri facilis patet via. Cum enim Decreti nostri clausula sit solum prohibens, esto delinquit, qui sine licentia dictum onus suscipit, valide tamen suscipit, poteritque nihilominus talis susceptio à Superiore annullari, quia hic suspensionis actus non est incapax irrationis, ut ex prædictis Doctoribus latius colligi potest.

17. Dubitabis sextò. An mortaliter peccet is, qui Missandi perpetuum onus suscipit sine licentia? Dico id exposcere altiore tractationem. Cum enim hæc Decreta sint leges Ecclesiasticæ, imponantque in hac clausula penas dictas num. 1. dicendum est, An quando ejusmodi leges prædictas penas imponunt, obligent, non solum ad ipsas penas, sed etiam ad culpam, id quod in § sequenti commodius præstabitur.

§. VII. Occasione prædictæ Clausulæ. Querimus, Quando lex Ecclesiastica imponit penam, an obliget etiam ad culpam?

1. **P**œna, quæ in his legibus solet apponi, vel est spiritualis, vel temporalis: de quibus, qua ratione sint signa obligationis mortalis separatim est, claritatis gratia differendum.

Pœna spiritualis.

2. Certum est primò, obligari fideles ad mortales, quoties lex Ecclesiastica aliquid præcipit sub pœna peccati mortalis. Huc reducuntur verba his æquivalentia, ut cum quid jubetur in virtute Sanctæ Obedientiæ, sub obestratione Iudicii, sub indignatione Apostolorum Petri, & Pauli, sub pœna maledictionis Dei, sub stricto Dei iudicio, in virtute Iuris jurandi, vel voti facti, & similibus. Vt si enim jam obtinuit, ut hæc verba indicent intentionem Superioris obligandi sub mortale, comprobantque communis Doctorum sententia apud Valentiam part. 2. d. 7. quæst. 5. part. 6. §. 3. Verbo, Tertium signum est.

3. Certum est secundò, obligari item sub mortali quando lex præcipit sub pœna Excommunicationis majoris latæ sententiæ. Ratio, quia hæc, utpote omnium gravissima pœna, non incurritur, atque adeo nec imponitur, nisi propter peccatum mortale: nam ideo dicere solent, quod pœna dictæ Excommunicationis, vel peccatum mortale supponit, vel inducit.

4. Hæc sunt certa. Dubium autem est, An pœna lata vel ferenda Suspensionis, vel Interdicti, vel irregularitatis, vel pœna majoris Excommunicationis ferenda, sint signa obligationis mortalis. Non meminimus Excommunicationis minoris, quia hanc non esse signum mortalis obligationis, cum soleat pro peccato veniali incurri, omnes communiter concedunt.

5. Et quidem in hoc triplex est sententia. Prima distinguit, aitque penam Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis ipso facto incurramdam, esse signum obligationis mortalis: at penam Excommunicationis ferendæ, & propter paritatem penam Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis ferendam, non item. Ita Castrop. tom. 1. tract. 3. de leg. d. 1. part. 15. à num. 30. alios citans. Ratio est, quia quando imponuntur ipso facto, sunt gravissima: at quando imponuntur ferendæ, cum requirant ulteriorem admonitionem, ad hoc ut incurrantur non censentur tam graves, & propterea nec sufficiens signum obligationis mortalis.

6. Secunda sententia nihil distinguens, docet omnes has penas spirituales, si ve latas, si ve ferendas signa esse per se, ut quod sub illis præcipitur sit præstandum sub reatu culpæ mortalis. Sic Sanchez in dec. lib. 6. c. 4. à n. 47. citans Suarium. Ratio est, quia per se (nisi aliud ex mente legislatoris, vel aliunde colligatur) hæc penas sunt gravissimæ, utpote spirituales, quare coniciendum est (inquit) obligate sub mortali.

7. Tertia sententia nihil item distinguens, tenet omnes prædictas num. 4. penas, si ve ipso facto latas, si ve ferendas, si ve ipsam Excommunicationem ferendam,

P 4 non